

unde illud domicilium beneficii Ecclesiastici appellare solent Ddres. Vid. Vultej. *ad L. 2. C. d. Jurisd. n. 15.* Olim quoque Senatores Romæ, quod vocabatur domicilium dignitatis, *L. 8. C. d. incol. L. 11. ff. d. Senator.* itemque liberti in loco originis aut domicilii patroni. *L. 6. §. 1. ff. ad Municip. L. 22. pr. L. 27. ff. Eod.* Voluntarium vero est; quod unusquisque ex libera voluntate citra ullam juris necessitatem, quocumque in loco ipsi libuerit, eo ipso sibi constituit, dum in aliquo loco habitat, & animum ibidem persistendi, si nihil avocaverit, expresse vel tacite declarat, *L. 2. L. 7. C. d. incol. Gail, l. 2. O. 35. n. 7. & de hoc accipienda L. 31. ff. ad municip.*

Quomodo hoc domicilium voluntarium constituitur, adeo expeditum inter Ddres non est, dum alii solum animum, alii vero nudum habitationis factum sufficere existimant. Vid. Ddres apud Barbos. *l. 4. c. 45. ax. 3.* Sed cum illorum sententiam *L. 20. ff. ad municip.* ubi præter voluntatem actualis adhuc requiritur habitatio; horum verò opinionem *l. 17. §. 13. ff. Eod.* ubi dicitur solum domus aut rerum possessionem domicilium non constituere, si scilicet voluntas ibi permanendi desit, satis refutent, hinc verius est, utrumque, nempe & actualem habitationem, ita conjunctim requiri, ut alterutro deficiente domicilium constitutum esse dici nequeat, Conf. Franzk. *tit. ff. d. Judic. n. 29.* Esbach. *ad Carpz. p. 3. c. 12. df. 18. n. 4.* Struv. *Ex. 9. §. 21.*

Atque ex his quidem de habitatione, ut pote quæ in facto consistit, & in oculos incurrit, facile constare potest; sed non semper de juncto permanendi animo. Struv. *in Synt. Ex. 9. §. 22.* Declaratur autem hic

B

ani-